

quæ differentia non essentia, sed status magis minusve perfecti est (1). Nulla itaque contradictio est in nostra doctrina.

Dices 4.^o Vulgare exemplum guttarum saxum cavantium videtur ostendere specificam differentiam inter dispositionem et habitum perfectum; nam primæ guttæ profecto non cavant, sed tantum disponunt, ut quædam alia tandem cavet.—Respondeo in primis, similitudines sæpe non stricte, sed secundum analogiam duntaxat, intelligendas esse: quo autem pacto intelligendæ sint in subjecta materia, semper aliunde probari, aut constare debere. Puto tamen exemplum guttarum nobis potius favere, nedum adverteretur. Effectus enim mechanicus omnium guttarum unus idemque specificus est, videlicet ut loco moveant particulas saxi. Quia vero materia saxi propter suam cohesionem huic effectui opponit impedimentum, ideo priores guttæ solum emolliunt, ac disponunt, ut subsequentes opus absolvant.

ARTICULUS II.

Subjectum vel causa materialis habituum.

160 Ut in re obscura ordinem perspicuitatemque sectemur, videndum ante omnia est, quale debeat esse subjectum habituum capax, et postea designandæ potentia, quæ illis ornari queunt.

§ I.—QUALENAM SIT SUBJECTUM HABITUUM CAPAX.

Subjectum habituum necessario est potentia activa.

Principio statuendum est, solam potentiam activam esse posse subjectum capax habituum, de quibus nunc disputamus. Namque de solis operativis habitibus agit disputatio hæc, habitus autem operativi cum non possint efficere nisi actus illius subjecti, quod informant (1), sequitur subjectum eorum debere esse potentiam quamdam activam. Ex quo capite concludes perperam a recentioribus multis habitus indiscriminatim concedi corporeis substantiis, et perperam adduci in

(1) Cfr. Suarez, *Metaphys.* disp. 47, sect. 6, num. 15, seqq.

(2) Vide supra num. 149, pag. 455.

exemplum habituum dispositiones quasdam pure passivas corporum, extrinsecus receptas ex actione aliarum causarum, quas superius retulimus initio articuli secundæ capitis præcedentis. Potest quidem corporea substantia diversimode affici, ac disponi assuetudine ac diu continuata actione aliorum corporum in ordine ad se, vel in ordine ad esse, non tamen ex eo solum habitus operativos nascitur. Itaque ut nulla foret confusio et ambiguitas in tractatione, oporteret aut aptiora seligere exempla, aut probe distinguere inter habitus certo quodam modo disponentes esse substantia, atque inter habitus facilitatem et promptitudinem operandi tribuentes potentis, qui proprio ac peculiari nomine *habitus* tractari solent in hac parte *Philosophiæ*.

161. PROPOSITIO 1.^a Nulla potentia est capax habituum, nisi sit elicitiva operationum immanentium.

Probatur. Habitus est in illa ipsa potentia per cuius actus producit; siquidem potentia repetitione suorum actuum facilitatem operandi assequitur. Atqui actus produciens habitum non potest esse nisi in ipso subjecto, ubi recipitur habitus; non enim producit eam, nisi ubi est. Ergo actus produciens habitum est in eadem ipsa potentia, a qua elicitor, que proinde immanenter operativa esse debet (1). Quocirca nulla potentia transeuntium duntaxat actionum effectiva, capax esse potest habituum, atque ideo omnis potentia capax habituum vitalis esse debet (2).

Potentia capax habituum debet esse immanenter operans seu vitalis.

162. PROPOSITIO 2.^a Potentia, ut sit capax habituum, debet esse aliquo modo indeterminata ad operandum.

Propositio jam probata manet ex superius dictis (3), ubi ostendimus radicem et causam necessitatis habituum esse aliquam indifferentiam vel indeterminationem ad diversimode operandum. Potentia enim, quæ natura ipsa præscriptum

Hæcque indeterminata aliquo modo ad agendum:

(1) Cfr. Suarez, loc. cit., sect. 1, num. 9; Rhodes, *Philos. perip.*, disp. 18, quest. 4, sect. 2, parag. 1.

(2) Cfr. paulo inferius dicenda de potentia loco motiva.

(3) Num. 142 pag. 449. Et Vide S. Thom. 3.^o distinct. 23, quest. 1. art. 1.

unde excludun-
tur a ratione
habitus
plura genera
dispositivum
in quibusdam
potentiis
receptivum:

non dantur
habitus
in potentiis ve-
getativis
et in sensibus
externis.

habet unum certum genus modumve operandi ita, ut, ubi-
cumque adsunt omnia praequisita, determinata sit ad ope-
randum certo modo; eo ipso habet jam ex sese totam facili-
tatem ac perfectionem operandi, quam assequuntur per
habitum aliae potentiae, nec majorem sortietur exercitio et
exercitatione actuum, nec ad aliter operandum, quam a na-
tura determinatur, assueferi unquam potest. Hinc habituum
capaces non sunt etiam ex hoc capite vires ac potentiae
omnes naturae inorganicae atque inanimatae; quia omnes hae
determinatae sunt ad agendum, quantum possunt in illo certo
genere ac modo actionis a natura praescripto, nec ullam
retinent indeterminationem, prout experientia demonstrat.
Sic gravia determinata sunt ad ruendum versus terram, nec
assueferi possunt sive ad ascendendum, sive ad velocius
faciliusve ruendum: eodem modo sol illuminat, ignis com-
burit, et caetera corpora agunt secundum suas vires, quin
usus et consuetudo immutare illorum modum agendi que-
ant (1). Idemque sentiendum est de potentiis vegetativis ac
de sensibus externis (2) ob eandem rationem, ex communi
Scholasticorum consensu. Nam ex solo usu et exercitio, cae-
teris paribus, non assequuntur facultatem melius faciliusve
operandi, etiamsi adsit applicatio vel directio voluntatis.
Quod si interdum facilitatem quandam et peculiarem habi-
tudinem acquirere videantur, dum quibusdam objectis assue-
scunt, ea reduci debet ad aliquam temperamenti variationem
vel impedimentorum remotionem; nam quod praedicta faci-
litas vel habitudo non sit proprie habitus, satis, opinor,
constat ex adductis rationibus (3). Habitus enim est dispositio
quaedam vel qualitas activa ex repetitione actuum immanen-
tium relicta; illae autem affectiones sunt effectus passive dun-
taxat recepti ex circumstantium corporum actione. Hoc pacto
plantae diversis caelis (*climas*) ac temperamentis caloris et
frigoris sese paulisper accommodant, si gradatim ab una in
aliam magis distinctam impressionem transeant: et vires
nutritivae consuetos cibos facilius concoquunt, aut etiam

(1) Cfr. Aristot., *Ethico* lib. 2. cap. 1.

(2) Vide S. Thom. 1. 2. quaest. 56. art. 3. ad 3.^{um}

(3) Cfr. Lossada, loc. cit. num. 126; Frassen., *Scien. moral.* 1.
pars, disp. 3. sect. 3. quaest. 1. conclus. 3.

pedetentim assuescunt aliis, quos prius stomachus fastidie-
bat, immo vero et venena ipsa impune absomit, et assimilat
sibi. Verum in his aliisque id genus phaenomenis nullum est
indicium habituum illorum, de quibus nostra est disputatio,
sed tantum mutationum accidentalium, quas pro varia causa-
rum externarum actione varias suscipere potest organismus,
unde variatio aliqua contingit in ejus activa et passiva, aut
etiam restituta potentia. Itaque sicut corporea substantia
potest suscipere habitus dispositivos ad bene vel male ha-
bendum (1), ita etiam quaedam potentiae corporum possunt
diversimode disponi ex causarum externarum actione; habi-
tus tamen operativos proprie nequeunt suscipere (2). **Dices.**
Passim audimus oculos pictorum aliorumque artificum periti-
ores esse ad discernenda objecta propriae artis: simili
modo aures quorundam musicorum usu delicatissimae eva-
dunt in discernendis sonis; et alii sunt, qui excellunt post
longam actuum experientiam in judicandis objectis gustatus
et olfactus. Ergo externi sensus non videntur prorsus habi-
tuum expertes. **Respondeo.** *Neg. cons.* Ista enim facta non
probant sensus ipsos in se suscipere habitus, quibus facilius
operentur, sed tantum intellectum experimento edoceri ad
melius de sensibilibus judicandum; quod profecto veris-
simum est.

§ II.—UTRUM POTENTIAE RATIONALES SINT CAPACES HABITUUM.

163. Quod hactenus saepe diximus obiter, dari nempe
habitum in voluntate et intellectu, id jam breviter probandum
est: de solo intellectu est aliqua ratio dubitandi. Si enim
causa et radix habituum est indifferentia vel indeterminationio
aliqua potentiae ad operandum, quomodo, inquires, intelle-
ctus, qui facultas libera non est nec indifferens, sed neces-
saria, suscipere habitus queat. Et controversia solum est de
humana voluntate et intellectu, nam non est nostrum agere
de angelis.

**PROPOSITIO 3.^a Non solum voluntas, sed intellectus quo-
que habituum capax est.**

(1) Vide S. Thom. 1. 2. quaest. 50. art. 1.

(2) Vide S. Thom. 3. dist. 23. quaest. 1. art. 1.

Voluntas capax
est habituum.

Prima pars: *Voluntas est subjectum habituum*, patet primo experientia et communi sensu; quia videmus homines exercitio actuum tantam bene vel male agendi promptitudinem atque inclinationem assequi, quæ valde difficulter abjici, vel compesci queat. 2.^o Ratio vero idem confirmat, quia voluntas est potentia libera et indifferens ad operandum vel non operandum, et ad diversas actuum species; unde non solum ex sua natura non est ad unum genus modumve operandi determinata, sed ex parte diversorum objectorum, quæ ratio tamquam convenientia simpliciter proponit, possunt esse difficultates et repugnantie, propterea quod illa sæpe adjunctum habent malum, vel sunt contraria sensibili inclinationi. Nam cum triplex sit bonum, honestum, jucundum et utile, non raro hæc inter se pugnant, ut quod utile vel jucundum est, non sit idem honestum, ac vicissim; et sic voluntatem trahunt in diversa, quæ proinde perplexa est, ac dirigi per diversas vias potest, ut certum genus objectorum quærat, certumve operandi modum expedite ac constanter teneat. Atqui totum id beneficio habituum obtinetur.

Itemque Intellectus.

Secunda pars: *Intellectus est subjectum habituum*, probatur 1.^o experientia: nam dantur scientiæ atque artes, in quibus multi excellunt, et non quidem ex naturali dispositione, sed ex perfectione longo studio et usu comparata. Atqui scientiæ et artes habitus quidam sunt, nempe ornamenta et qualitates a potentia naturali et actualibus actibus distinctæ, facilitatem conferentes cogitandi, ratiocinandi, eloquendi, operandi circa peculiare subjectum, circa quod disciplinæ illæ versantur. 2.^o Intellectus quamvis non sit adeo indifferens potentia, sicut voluntas, tamen suam participat in multis indeterminationem. Et 2) primo quidem in ferendo iudicio de his rebus, quarum evidentem cognitionem non assequitur, ut sunt illæ, quæ sub fidem et opinionem cadunt: unde in his ex se non determinatur ad assensum, et sicut per imperium voluntatis assuescere potest ad quædam sectanda iudicia, ita experientia ipsa compertum habemus hominem difficulter removeri ab his rebus, quarum habent inventatam fidem aut opinionem (1). 3) In ipsis objectis evidentibus, quamvis verum sit evidentiam necessario extorquere

(1) Suarez, *Metaphys.* disput. 44, sect. 1. num. 12.

assensum, non modica inest nostro intellectui ob suam imbecillitatem indeterminatio; nam conclusionibus nequit assentiri, quantumvis in se evidentes sint, nisi ex certis præmissis, certo ordine propositis, identitatem terminorum perspiciat: quod sæpe longi negotii ac diuturni studii opus est. Unde in demonstranda veritate, intellectus noster magnam patitur difficultatem, quæ usu et exercitatione emollitur, ita ut felicissima tandem succedat facilitas. Immo vero in ipso primorum principiorum assensu, quæ dicuntur ex terminis nota fieri, intellectus noster facilitatem promptitudinemque certissime assentiendi non insitam habet a natura, sed inductione quadam assequitur ex notitia sensuum experientiali (1); et propterea ex communissimo Philosophorum consensu datur habitus primorum principiorum a potentia distinctus (2), isque non animo ingenuus, sed obvio facilitate actuum exercitio acquisitus (3). 4) Denique in habitibus practicis, præsertim in arte, res est evidentissima: quare Aristoteles (4), cum disputat de potentiis activis, quæ non nisi usu acquiruntur, nempe de habitibus, præcipue ponit exemplum in arte (5).

Probe tamen nota, habitus in intellectu poni non ad omnes actus, sed tantum ad iudicia et discursus; nam pro simplicibus apprehensionibus, quæ simplices rationes præ se ferunt, nulla videtur esse experientia majoris facilitatis usu comparatæ. Ad apprehensiones autem complexas, quæ peculiarem directionem requirunt, quales sunt definitiones ac divisiones, major apparet ratio admittendi habitus, et fortasse etiam ad illas incomplexas, quæ delectu indigent, ut sunt illæ, per quas genera et species logicæ efficiuntur (6). Illud quoque notandum habitus poni in intellectu possibili, non autem in agente, utpote qui ex sua natura determinatus est ad unum genus et modum actus.

Ad quos
actus dantur
habitus
Intellectus:

in intellectu
agente
non dantur
habitus.

(1) Vid *Logic. Maj.*, num. 208, pag. 707.

(2) *Logic. Maj.*, num. 199, seqq., pag. 770 seqq.

(3) *Logic. Maj.*, num. 203, pag. 788 seqq.

(4) Vid v. g. lib. 9 *Metaphysicor.*

(5) Suarez, loc. cit. Cfr. Rhodes, *Philosoph. perip.*, lib. 2, disp. 18, quest. 4, sect. 2, parag. 3.

(6) Lossada, loc. cit. cap. 4, num. 125.

Dices: Supervacanei sunt habitus in ea potentia, quæ est determinata ad unum. Atqui talis est intellectus; nam non est potentia libera, nec proinde indeterminata, et propterea determinatur ipsa evidentia ad prima principia pronuntianda, et ad conclusiones ex illis evidenter fluentes amplectendas. Ergo in intellectu non sunt habitus.—*Respondeo, dist. Maj.* Supervacanei sunt habitus in ea potentia, quæ est determinata ad unum genus et modum operandi, *conc.* in ea potentia, quæ solum est determinata ad unum in eo sensu, quod positus omnibus prærequisitis non potest non agere, seu est necessaria in operando, *neg.* Et *contradist. Min.*; *neg.* conseq. Nam non est idem indeterminatum et liberum in hac materia; sed potest facultas non libera latitudinem habere, sive in objecto, sive in modo operandi, ratione cujus diversimode determinari possit, ac debeat, prout jam satis declaratum est. Accedit, quod intellectus voluntatis imperio in multis subiaceat, et sic varie duci atque institui possit in operando.

§ III.—AN SENSUS INTERNI ET SENSITIVUS APPETITUS
SUSCIPERE QUEANT HABITUS.

164. Exclusis externis sensibus, dubium remanet, utrum in internis, ac potissimum in appetitu sensitivo, dentur habitus. Bifariam expectari possunt hæ potentie: prout sunt in homine, in quo rationis et voluntatis imperio ac directioni subjiciuntur, et prout sunt in brutis, in quibus instinctu potissimum reguntur. Quod ergo attinet interiores istas hominis potentias, communis est Scholasticorum opinio, habituum esse illas capaces (1), quamvis Gabriel et Ockam dicuntur negasse illos in appetitu sensitivo (2). Utrum autem eædem in brutis suscipere queant habitus, disputatur.

(1) Vide S. Thom. (1. 2. quæst. 50, art. 3, et 4), Suarez (loc. cit. sect. 1, num. 13, 14), Valent. (In 1.^{am} 2.^æ, disp. 4, quæst. 2, punct. 2), Salas (In 1.^{am} 2.^æ, tract. 10, disp. 2, sect. 2 et 6), Vazquez (In 1.^{am} 2.^æ, disp. 78, cap. 4), Barthol. Medina et Sylviu (In 1.^{am} 2.^æ, quæst. 50, art. 3).

(2) Apud Valent. loc. cit.

Affirmant Salas (1), De Benedictis (2), Mastrius (3), Lossada (4), Quiros (5) et alii apud ipsum; negant Suarez (6), Vazquez (7), Azor (8), Valentia, Oviedo (9), Montesinos (10) et alii. P. Rhodes (11), concedit habitus in phantasia, negat in appetitu sensitivo brutorum. Utraque opinio suum contendit esse S. Thomam, cujus tamen sententia videtur in re ipsa satis clara, si attente perpendatur. En verba S. Doctoris: *Vires sensitivæ in brutis animalibus non operantur ex imperio rationis, sed, si sibi relinquuntur bruta animalia, operantur ex instinctu naturæ, et sic in brutis animalibus non sunt aliqui habitus ordinati ad operationes; sunt tamen in eis aliquæ dispositiones in ordine ad naturam, ut sanitas et pulchritudo. Sed quia bruta animalia a ratione hominis per quamdam consuetudinem disponuntur ad aliquid operandum sic vel aliter, hoc modo in brutis animalibus habitus quodammodo poni possunt; unde August. dicit (lib. 83 Quæst., quæst. 36), quod videmus immanissimas bestias a maximis voluptatibus abstinere dolorum metu: quod cum in earum consuetudinem vertitur, domitæ et mansuete vocantur. Deficil tamen ratio habitus quantum ad usum voluntatis, quia non habent dominium utendi, vel non utendi, quod videtur ad rationem habitus pertinere, et ideo proprie loquendo in eis habitus esse non possunt (12).*

165. PROPOSITIO 4.^a Sensus internus, ac potissimum phantasia, videtur in homine capax esse habituum, multoque magis appetitus sensitivus.

(1) Loc. nup. cit., num. 61 seqq.

(2) *Philosoph. peripat.* tom. 3, *Psychol.*, lib. 8, quæst. 3, cap. 4 fin.

(3) *De anim.*, disp. 3, quæst. 2, num. 7.

(4) *De anim.*, disp. 6, cap. 4, num. 121, 126.

(5) *Curs. philos.*, disp. 93, sect. 2, num. 16.

(6) Loc. cit. sect. 3.

(7) In 1.^{am} 2.^æ, disp. 78, cap. 4, num. 29.

(8) *Instit. moral.* lib. 3, cap. 10, quæst. 4.

(9) *De anim.*, controv. 14, punct. 2, num. 7.

(10) In 1.^{am} 2.^æ, disput. 3, quæst. 2, num. 21.

(11) *Philos. perip.* lib. 2, disput. 8, quæst. 4, sect. 2, parag. 2, Dico 1.^o

(12) S. Thom. 1. 2. quæst. 50, art. 3, ad 2.^{am}.

Sensus
internus ac
potissimum
phantasia, in
homine capax
est
habituus;

Probatur prima pars: *Sensus internus, ac potissimum phantasia, in homine capax est habituum.* Experientia enim ipsa suadente, videmur ex actu phantasiae ac memoriae exercitatione promptiores nos reddi ad similes actus eliciendos. Videmus enim peritos artium et scientiarum magna polleere facilitate imaginandi et recordandi, quae ad artem et scientiarum suam pertinent. Et confirmatur ratione, quia sensus interior non est ita determinatus ad uno modo operandum, quin subsit imperio rationis ac voluntatis, et sub eius directione ad melius operandum induci queat. Accedit, quod appetitui ratio vel voluntas imperet, non despotice, sed politice: id quod ut superius docuimus (1), praestat medio sensu interiori, efficiendo, ut hic per actum phantasiae atque aestimativae aliter apprehendat, ac iudicet objectum, modo videlicet apto, ut appetitus sedetur, et obediatur rationi. Ergo sensus interior sub directione rationis potest facilitatem quamdam adipisci operandi certo modo, quem nunquam tenuisset sibi relictus, ac proinde capax esse videtur alicujus habitus.

multoque magis
appetitus sen-
sitivus,

Probatur secunda pars: *Appetitus sensitivus est habituum capax*, prout tenet communissimus sensus Theologorum et Philosophorum christianorum, unde non parva accrescit probabilitas huic assertioni.

Ratio vero est 1.^o, quia quamvis appetitus sensitivus non sit potentia libera, non tamen caret indifferentia et indeterminatione ad plura, propter quam diversimode inclinari queat ad unum potius, quam ad aliud. Ergo capax est habituum. Consequentia patet ex superius dictis circa conditiones potentiae habituum capacis. Antecedens autem probatur: α) appetitus in homine potest compesci in suis inclinationibus, atque in officio contineri per rationem et voluntatem, quamvis non despotice, sed politice. Hoc autem fieri non posset, nisi aliquam appetitus indeterminationem haberet et capacitatem, ut diversimode se habeat respectu sui objecti; nam si ad unum penitus esset determinatum, ne per rationis quidem imperium ac directionem posset alio divertii. β) Idem elucet ex variis appetitus inclinationibus, quodammodo inter se repugnantibus. «Nam ex vi sui generis naturaliter inclinatur

(1) Vide supra num. 41, pag. 97 seqq.

ad sensibilia et delectabilia; tamen ex vi conjunctionis et emanationis ex anima rationali habet inclinationem ad obediendum rationi, et ad appetendum ipsamet bona sensibilia, non tantum quatenus delectabilia aut corpori commoda, sed maxime quatenus simpliciter bona homini existimantur. Ex qua duplici inclinatione nascitur, ut etiam hic appetitus non habeat a natura omnem determinationem ad suos actus, quam potest habere; et ideo potest acquirere habitum, quo magis ad alteram partem inclinetur. Quod maxime necessarium est respectu eorum actuum, qui delectationibus sensibilibus aut commodis corporis sint aliquo modo contrarii; non quia inclinatio naturalis ad hos actus in hoc appetitu minor sit, sed quia objecta sensibilia, quae sunt magis propinqua et proportionata, vehementius movent. Propter quod quedam etiam virtutes morales in appetitu sensitivo collocari solent, ut tradit D. Thomas (1), nimirum fortitudo in parte irascibili, ac temperantia in concupiscibili. «Quod quomodo intelligendum sit, non spectat ad hunc locum; satis nunc erit asserere necessarios esse habitus in appetitu, quibus reddatur promptus et facilis ad obediendum rationi in materia harum virtutum, scilicet temperantiae et fortitudinis et aliarum, quae sub eis continentur» (2).

Unde probatur 2.^o propositio experientia. Etenim videmus mortificari, seu ad mediocritatem redigi passiones appetitus sensitivi exercitio virtutum, quod non fit nisi per acquisitionem habituum. Et e converso per actus conformes naturali inclinationi acquiruntur habitus vitiosi, augentes impetum passionum. «Nam licet inclinatio ad objecta sensibilia videatur maxime naturalis, et facillime prodire in opus, si non contineatur; nihilominus experimur consuetudine augeri, et vires acquirere ad resistendum rationi, quae vix potest repugnare appetitui, quando nimia consuetudine ad haec sensibilia trahitur. Non est ergo dubium, quin in hac potentia sit aptitudo ad generandos, et recipiendos in se habitus.» (3)

Quae cum ita sint, constat longe majorem et evidentiorum esse rationem agnoscendi habitus in appetitu sensitivo,

(1) S. Thom. 1. 2. quaest. 56, art. 4.

(2) Suarez, *Metaphys.* disp. 44, sect. 1, num. 13.

(3) Suarez, loc. cit.

quam in sensu interiori hominis. Apposite ad rem S. Thomas: *Appetitus sensitivus natus est moveri ab appetitu rationali, ut dicitur (De anim. l. 3 text. 57); sed vires rationales apprehensivæ natae sunt accipere a viribus sensitivis, et ideo magis convenit, quod habitus sint in viribus sensitivis appetitivis, quam in viribus sensitivis apprehensivis, cum in viribus sensitivis appetitivis non sint habitus, nisi secundum quod operantur ex imperio rationis. Quare etiam in ipsis inferioribus viribus sensitivis apprehensivis possint poni aliqui habitus, secundum quos homo sit bene memorativus, vel cogitativus, vel imaginativus. Unde etiam Philosophus dicit, quod consuetudo multum operatur ad bene memorandum, quia etiam istæ vires moventur ad operandum ex imperio rationis; vires autem apprehensivæ exteriores (ut visus, et auditus, et huiusmodi) non sunt susceptivæ aliquorum habituum, sed secundum dispositionem suæ naturæ ordinantur ad suos actus determinatos: sicut et membra corporis, in quibus non sunt habitus, sed magis in viribus imperantibus motus ipsorum (1).*

166 PROPOSITIO 5.^a Minor est necessitas ponendi habitus in sensitivis potentiis brutorum animantium, quam non videtur sua carere probabilitate opinio affirmans, præsertim relate ad actum memoriæ ac phantasie.

Minor est
necessitas ponendi habitus
in parte
sensitiva brutorum,

Prima pars: *Minor est necessitas ponendi habitus in parte sensitiva brutorum animantium, videtur certa. Primo, quia indicia habituum sunt longe pauciora in illis, quam in homine, nec tam perspicua, potissimum in appetitu sensitivo. Præterea cum radix habituum stet in indeterminatione potentiæ ad plura, propter quam diversimode potest inclinari per qualitatem supra dictam; in potentiis sensitivis hæc indeterminatio potissimum desumitur ex aptitudine, quam habent ad obsecundandum rationi, qua sinunt se duci etiam ultra modum suæ propriæ indolis et specificæ tendentiæ. Atqui aptitudo hæc multo perfectius viget, et clarius elucet in homine propter conjunctionem potentiarum utriusque ordinis, sensibilis et rationalis, in unitate naturæ ac suppositi. Ergo major ratio ac necessitas inest asserendi capacitatem habitus potentiis*

(1) S. Thom. r. 2. quest. 50 art. 3. ad 3.^{um}

sensitivis in homine, quam in bruto. Unde profecto effici putandum est, ut perfectibilitas belluarum per hominis rationem sit valde limitata ad quasdam paucas res, in quibus edoceri, et educari queunt, eaque non in omnibus generibus æque reperitur. Quia cum ipsa ratione careant, atque intelligentia, ægre adduci queunt per alternas impressiones jucundæ et adversi, voluptatis et doloris, ut rationis ductum utcumque sectentur.

Secunda pars: *Non videtur improbabilis opinio concedens brutis capacitatem aliquam habituum, præsertim ad actum memoriæ et phantasie. Etenim sunt quædam belluæ disciplinæ capaces, nec pauca artificiose facere docentur, ut norunt omnes, quæ speciem præ se ferre videntur habitus quemadmodum ipsemet S. Thomas agnovit (1). Verum est, quod ex S. Doctore in brutis deficit... ratio habitus, quantum ad usum voluntatis, quia non habent dominium utendi, vel non utendi, quod videtur ad rationem habitus pertinere. Et ideo proprie loquendo in iis habitus esse non possunt. Non tamen certum esse puto, quod ejusmodi dominium vel libertas requiratur ad essentiam habitus: unde assertio hæc non destruit probabilitatem contrariæ opinionis. Et multi censent posse in pueris et amentibus, quamvis libertate careant, generari habitus. Immo vero probabilior omnino videtur, spectata ratione, doctrina negans ad habitum requiri libertatem, tum quia dependentia habitus a libertate in operando extrinseca est habitui, et sine illa explicari potest quidditas habitus; tum quia in repentinis et indeliberatis voluntatis motibus maxime se prodit habitus juxta Aristotelem supra citatum; tum quia in phantasia cogitativa et in appetitu materiali hominis, dantur habitus juxta D. Thomam et P. Suarez, nec tamen iis semper dominatur libertas, sæpe enim passio appetitus per habitum roborata, libertatem prævenit, et in somniis ea plerumque recogitamus, et materialiter appetimus, quibus assueti sumus» (2).*

non tamen
videtur
improbabile
quod in ea
habitibus aliqui
dantur.

(1) Quia bruta animantia a ratione hominis per quamdam consuetudinem disponuntur ad aliquid operandum sic vel aliter, hoc modo in brutis animalibus habitus poni possunt. (S. Thom. 1. 2. quest. 50, art. 3, ad 2.^{um}).

(2) Lossada, de anim., disp. 6, cap. 4, num. 120.

Dices: Omnia phaenomena, quae in brutis animantibus deprehenduntur, non videntur exigere habitum, sed explicari possunt per memoriam doloris vel voluptatis, quam experta sunt, cum certas actiones ordine quodam artificioso facere deberentur (1).—Respondedo, *concedo* posse absolute phaenomena illa explicari, nullo admissio habitu; eo tamen admissio melius explicantur. Et initio quidem huiusmodi belluæ, quamdiu educantur, solis videntur minis, atque adeo memoria inflicti doloris vel voluptatis moveri; neque enim aliud suppetit homini praesidium belluas ad voluntatis suae executionem impellendi: postea vero cum hæc facile ac prompte suos actus exercent, aliter videntur moveri. Ut enim observat Lossada, sæpe canis ad operationes aliquas initio inducitur per minas et verbera; ideo sic eas exercet, ut metum prodat tremore corporis. Sed postquam illis assuevit, easdem exercet promptus et lætabundus, quod signo est, hanc promptitudinem haud oriri ex speciebus memorativis verberum, ut volunt Auctores contrarii. Alioquin etiam post assuetudinem tremere, ac doloris metum ostenderet (2).

Dixi in propositione habitus admitti probabiliter posse in brutis, *praesertim relate ad actus memoriæ ac phantasie*. Quia equidem puto multo pauciora suppetere indicia habitus in appetitu sensitivo brutorum.

§ IV.—UTRUM SINT HABITUS IN POTENTIA MOTRICE ATQUE
IN MEMBRIS CORPORIS.

167. Affirmant Gabriel Biel (3) et Ockam (4) et Scotus (5), quamvis alibi (6) Doctor Subtilis contrariam sententiam videtur tenuisse: affirmant etiam plures Scotistæ (7), et e nostra

- (1) Conf. Suarez, loc. cit., sect. 3, num. 5.
- (2) Lossada, loc. cit., num. 121.
- (3) 3.^o dist. 23, quæst. 1, art. 1, dub. 1.
- (4) *Quodlib.* 3, quæst. 17.
- (5) 3.^o dist. 33, quæst. unic., in resp. ad 3.^{am} objectionem.
- (6) 4.^o distinct. 49, quæst. 14, lit. G. et seqq.
- (7) Ita v. g. Vulpes (2.^a part. tom. 3, disp. 103, art. 4) Pontius (*de anim.* disput. 14, quæst. 1, concl. 2) et Frassen (loc. cit. sect. 3, quæst. 1, concl. 4).

Societate P. Rhodes (1). Quibus etiam adstipulari videntur recentiores illi, qui de habitus tractantes, exempla desumunt ex corporeis motibus artificum, saltatorum, pictorum, sculptorum, etc., quos constat exercitio magnam solere membrorum habilitatem comparare. Longe tamen frequentior est opinio negans, quam tenent cum S. Thoma (2) Almaino et Angesto (3) Thomistæ (4), et plures Scotistæ (5), Montanosos (6), et Suarez (7), Vazquez (8), Valentia (9), Salas (10), Fonseca (11), Azor, (12), De Benedictis (13), Oviedo (14), Lossada, (15), Soarez Lusitanus (16) et alii.

Res non vacat difficultate, quia experimur per usum artis acquiri facilitatem et determinationem quamdam, non solum in mente, sed etiam in membris corporis. Cujus etiam signum est, quia licet quis optime discat regulas artis, si non exercet ipsas externas actiones, numquam acquirat promptitudinem et facilitatem in eis exercendis; immo vix poterit aliquam actionem earum artificiose exercere. Rursus est aliud signum: nam quia dum exercuit huiusmodi actiones, postea fere sine ulla attentione mentis illas exercet exterius artificiose et summa facilitate. Ergo signum est illas actiones immediate fieri ex habitu, qui in ipso membro acquiritur. Quod si quis fortasse respondeat etiam facilitatem non provenire ex habitu, sed ex aliqua alia qualitate: primum enervat

- (1) *Philos. Peripat.*, disp. 18, quæst. 4, sect. 2, paragr. 2, *Dico* 3.^o
- (2) S. Thom. quæst. 50, art. 3 ad 3.^{um}
- (3) Apud Salas, in 1.^{am} 2.^{ae}, tract. 10, disp. 2, sect. 1, num. 25.
- (4) Vid. Bartholom. Medina (in 1.^{am} 2.^{ae} quæst. 50, art. 1), Sylvium (Ibid. art. 3, concl. 3). Conradum etc. etc. (*Ibid.*).
- (5) Vid. v. g. Mastrium, *de anima* disp. 3, quæst. 2, num. 15; qui num. 14 scripserat Scotistas in hac questione divisos esse.
- (6) In 1.^{am} 2.^{ae} disp. 31, quæst. 1, num. 6, seqq.
- (7) *Metaphys.* disp. 44, sect. 2.
- (8) In 1.^{am} 2.^{ae}, disp. 78, cap. 4, num. 18.
- (9) In 1.^{am} 2.^{ae}, disp. 4, quæst. 2, punct. 1.
- (10) In 1.^{am} 2.^{ae}, tract. 10, disp. 2, sect. 1.
- (11) *Metaphys.* lib. 6, cap. 5, quæst. 3, sect. 1.
- (12) *Instit. moral.* lib. 3, cap. 20, quæst. 8.
- (13) *Philos. perip.*, tom. 3, lib. 8, *Physic.* quæst. 3, cap. 4.
- (14) *De anima* controuv. 14, punct. 2, num. 5.
- (15) Loc. cit. cap. 4, nuia. 127.
- (16) *De anim.* tract. 7, disp. 2, sect. 1, num. 179.

omnem experientiam et rationem, qua probamus habitus esse: deinde oportet, ut explicet, qualis sit illa qualitas, quod non facile fiet (1). Nihilominus sit

168. PROPOSITIO 6.^a In membris corporeis vel in potentia motus localis executrice nullus datur veri notainis habitus.

In membris corporeis et in potentia locomotiva nullus datur habitus.

Ut vim propositionis melius capias, probe nota in ea non negari existentiam habituum in artificibus ad præstantissima sua opera perficienda, sed tantum existentiam eorumdem in digitis, pedibus aliisque corporis membris. Iam enim alibi probatum reliquimus potentiam motricem triplicem esse dirigentem, imperantem et exsequentem: dirigens est cognitio, phantasie et æsimative in brutis, et rationis præterea vel intellectus in homine; imperans est appetitus sensitivus et rationalis; exsequens est vis residens in musculis (2), qua distincta realiter est ab appetitu (3). Cum ergo in præcedentibus paragraphis asserta sit existentia habituum in utroque appetitu et potentia cognoscitiva, necesse non est iterum quæstionem movere de potentia motum localem dirigente et imperante, sed solum de exsequente, in qua negamus dari habitus.

Probatur 1.^o Subjectum habituum capax debet esse potentia stricte immanens, nempe illa, quæ recipit in se actum, quem ipsamet elicit. Atqui potentia loco motiva, nempe motum exsequens, quamvis est minus stricte immanens, quatenus actus ejus recipitur in eodem supposito, non tamen est immanens in stricto sensu. Ergo in membris corporis, in quibus est potentia loco-motiva, nullus est veri nominis habitus. Major in primo hujus articuli paragrapho demonstrata est; Minor autem patet, quia motus effectus per potentiam exsequentem non manet in eodem principio, a quo elicitur, siquidem motum, ut jam viderat Aristoteles, efficit animal movendo unam partem per aliam.

(1) Suarez, loc. cit., num. 1.

(2) Vide *Psycholog.* vol. 1.^{am}, num. 223, pag. 942 seqq.

(3) Vide *ibid.*, num. 224, pag. 942 seqq.

Prob. 2.^o Potentia loco motiva ad nutum obedit potentie imperanti, cujus est in illam, ut alibi notavimus (1), imperium despoticum, ac proinde jam ex sua natura omnino determinata est ad exsequendum illum motum, qui sibi imperatur, dummodo nullum sit impedimentum. Atqui ex modo probatis, potentia habituum susceptiva debet esse aliquo modo indeterminata, sive ad genus, sive ad modum varium operandi. Ergo in potentia motiva nullus est habitus, sed sufficit ablatio impedimentorum ad hoc, ut expeditissime motus sibi imperatos exsequatur.

Prob. 3.^o Confirmando præcedens argumentum. Eatenus ponendus esset in membris habitus ad motus facilius expeditiusque exsequendos, quatenus experimur exercitio membrorum magnam acquiri facilitatem, fere sicut in aliis potentiis habituum capacibus. Atqui hæc ratio nihil probat pro membris. Nam 2) membra non sunt, nisi instrumenta quedam conjuncta efficiendi motus, et quidem similia externis instrumentis, quæ perficiuntur et ipsa sæpe in suis operationibus eliciendis; nemo enim est qui nesciat instrumenta externa usu et exercitio aptiora fieri, vel quia poliuntur, vel quia leviora efficiuntur attritu, aut aliter disponuntur melius in ordine ad finem. Atqui tota hæc major dispositio explicanda est ex mera impedimentorum remotione absque ulla positiva qualitate ipsis superaddita. Ergo idem etiam dici potest de facilitate membrorum, exercitio comparata. β) Præterea quantumvis magna sit membrorum agilitas ac dexteritas ad motus artificiosos semper requiritur major minorve attentio mentis et phantasie representatio, qua mediante dirigitur tota series motuum, ita ut hæc illico cesset, cessante penitus cognitione. Atqui hoc videtur ostendere, quod habitus ille artificiosus adæquate resideat in potentiis cognoscitivis, membrorum vero dispositio se habeat instar removentis prohibens. Si enim habitus artificiosorum motuum essent in membris, non apparet, cur non possent hæc apte moveri, etiam deficiente cognitione atque attentione. γ) Certum est motus exercitio membra laxari, atque expeditiora solutionari fieri. Ergo per hoc solum, etiamsi nulla in eis supponatur

(1) Vide supra num. 80, pag. 205.

qualitas passiva, intelligitur plane, quod ars, in potentia cognoscitiva residens, operetur artificiose, tales imperando motus, quales ars præcipit, quos membra ex eo quod nullo jam præpediantur impedimento, adamussim exsequantur, obediendo ad nutum potentiae dirigenti atque imperanti. Sic pictor, sua pollens arte, requirit instrumentum, non qualemque, sed aptum et accommodatum ad finem, quamvis hæc aptitudo non habeat rationem habitus, sed tantum conditionis amoventis impedimentum. δ) Confirmatur, quia secus contra sensum communem omnium ponendus erit habitus in gutture ad canendum, et in lingua ad articulate loquendum, immo et in mechanicis instrumentis, quæ pariter exercitio aliquo reddi solent expeditiora (1).

Unde ad initio propositas rationes dubitandi non est ardua responsio. Ad primum α) enim dicendum est per usum externarum actionum acquiri facilitatem, habitum vero non acquiri in membro vel organo corporis, sed in potentis animæ dirigentibus ac imperantibus motum. Ad alterum β) respondeo, quod habitus perfecte non acquiratur sine usu externarum actionum, ex duplici causa repeti posse; primo quia habitus perfecte acquisitus requirit ad sui exercitium dispositionem quamdam passivam in membris, in eo sitam, ut hæc sint expedita et indifferentia, ut ad nutum et imperium potentiae atque habitus dirigentis flectantur, moveanturque, prout artis regulæ præcipiunt; illa vero dispositio sine usu et exercitio membrorum convenienti non obtinetur. Secundo, quia habitus ipse practicus ad externam operationem accommodatus, non acquiritur solo discursu aut disciplina circa regulas artis, vel observatione aliorum artificiose operantium, nisi interveniant actus interiores intellectus et voluntatis, comitantes ac dirigentes externorum membrorum exercitium (2). Tertium denique γ) quod obiciebatur, nempe «has actiones externas interdum exerceri artificiose, sine internis actibus, ex habitu relicto in ipsis membris, falsum esse censeo; immo probabilius est in Philosophia, etiam

(1) Suarez, loc. cit., sect. 2, num. 3, 4.

(2) Cfr. Suarez (loc. cit. num. 5), Valentia (loc. cit. fin.), Salas (loc. cit. num. 55).

quoad substantiam non posse fieri hunc motum animalem sine actuali usu phantasie et appetitus, nedum quoad modum artificiosum. Semper ergo intervenit directio artis, quamvis interdum vel propter magnam facilitatem, vel quia fit sine ulla reflexione, experimento non percipiatur (1).

COROLLARIUM. Ex probatis in hoc articulo concludes subiectum habitus esse debere potentiam ordinis intentionalis, nempe vel cognoscitivam, vel appetitivam.

Subiectum
habituum est
potentia inten-
tionalis
ordinis.

ARTICULUS III.

In quo sita sit habitus essentia.

169. Postremam hanc, eamque salebrosissimam, de causis habituum aggredimur controversiam, in qua inquiremus, quid tandem sit habitus. Ostendimus enim eum esse positivam aliquam qualitatem, probabilius in solis potentis cognoscitivis et appetitivis residentem: nunc restat, ut videamus, an habitus sit qualitas distincta ab omnibus hactenus nobis compertis. Sunt enim multi, qui habitus potentiarum cognoscitivarum in speciebus, habitus vero potentiarum appetitivarum in certis cognitionibus reponant. Et quamquam nihil certo statuere de hac re liceat, nosse saltem oportet, quid hactenus ad nodum solvendum præclarissima quæque ingenia excogitaverint.

§ I.—UTRUM HABITUS INTELLECTUALIS SIT QUALITAS A SPECIEBUS DISTINCTA.

Controversia hæc potissimum agitur de habitibus intellectus, quamvis eadem pertineat etiam ad habitus, quos diximus dari in sensu interiori: quidquid enim dicendum sit de intellectu, facile extenditur ad sensum interiorum ob similem rationem. Sermo autem est de solis habitibus naturalibus, nam de supernaturalibus nullum est dubium, quin sint qualitates a speciebus intentionalibus distinctæ. Est ergo

Varie
sententiarum
primæ.

(1) Suarez, loc. cit., num. 5.

sententia quorundam Thomistarum, ut v. g. Pauli Soncinatis (1), qui habitum intellectualem reponunt in speciebus rememorativis ex actu repetitione relictis: quorum doctrinam sequuntur non pauci e nostra Societate cum Cardinali de Lugo (2), Petro Hurtado (3), Carleton Compton (4), Arriaga (5), Oviedo (6), De Benedictis (7), Semery (8), Quiros (9), Haunoldo (10), Cardinali Ptolemeo (11), Mayr (12), Joanne Ulloa (13) aliisque, quibus multis in locis favere perspicue videtur S. Thomas, ut postea videbimus. Non tamen omnes eodem modo rem explicant; alii, præsertim Nostri, habitum identificant, non cum speciebus quibuslibet, sed cum solis experimentalibus, quæ in memoria relinquuntur ab actibus præhabitis, hæ enim volunt repetitis actibus intendi, atque ita facilitatem inducere ad similes alios iterandos. Alii vero, præsertim Thomistæ, habitum collocant in speciebus coordinatis, non actuum, sed objectorum, ad eandem scientiam aut artem spectantium, quamquam non explicant, in quo ista sit coordinatio specierum (14). Itaque «habitus intellectuales acquisiti, secundum hanc opinionem, ut scribit P. Antonius Mayr, identificantur cum speciebus rememorativis, rite coordinatis et firmatis ac facile excitabilibus, item negatione specierum, æqualiter vel fortius in oppositum inclinantium» (15). Quia vero omnes hi auctores conveniunt in non agnoscenda ulla entitate a speciebus distincta, ideo a quibusdam recensentur inter eos,

- (1) *Metaphys.* lib. 6, quæst. 9.
- (2) *De fide*, disp. 1, sect. 6, num. 97; sect. 9, num. 190.
- (3) *De anim.*, disput. 16, sect. 2.
- (4) *De anim.*, disp. 28, sect. 2, num. 1.
- (5) *De anima*, disp. 9, sect. 2, subsect. 1, num. 29.
- (6) *De anim.*, controv. 14, punct. 2.
- (7) *Philos. perip.*, tom. 3, lib. 8 *Phys.*, quæst. 3, cap. 5.
- (8) *Trienn. Philos.*, tom. 3, disp. 2, quæst. 1.
- (9) *Curs. philos.*, disp. 93, sect. 2, num. 12.
- (10) *De anim. ration.*, cap. 6, art. 1.
- (11) *Dissert. 40 Logico-Physic.*, conclus. 1.
- (12) *Philos. peripat.*, pars. 4, disp. 4, quæst. 2, art. 6, num. 1055.
- (13) *De anim.*, disp. 1, cap. 6, num. 112.
- (14) Lossada, *de anim.*, disp. 6, cap. 4, num. 104.
- (15) Mayr, loc. nuper cit.

qui habitus existentiam negant. Perperam sane, quia isti auctores reapse non negant habitum intellectualem, sed tantum distinctionem habitus a speciebus.

Longe vero communior est sententia distinguens habitum a quibuscumque speciebus: quam tenent nobiliores Thomistæ, Capreolus (1), Cajetanus (2), Ferrariensis (3), Bartholomæus Medina (4), Hispalensis (5), Salmaticenses (6), Joannes a S. Thoma (7), Doctor Complutensis Montesinus (8), et ex nostratibus cardinalis Toletus (9), Molina (10), Suarez (11), Vazquez (12), Fonseca (13), Tanner (14), Rubius (15), Azor (16), Salas (17), Conimbricenses (18), Tellez (19), Rhodes (20), Soares Lusitanus (21), Sylvester Maurus (22), Lossada (23) et alii; consentiunt Scotistæ communiter (24). Hi omnes præter species requirunt qualitatem aliquam distinctam, quæ det intellectui facilitatem judicandi et ratiocinandi, nomine habitus significatam.

- (1) In *Prolog. Sententiar.*, quæst. 3.
- (2) In 1.^{am} 2.^e, quæst. 54, art. 4.
- (3) In lib. 1.^{am} *Contr. Gent.*, cap. 56.
- (4) In 1.^{am} 2.^e, quæst. 50, art. 4.
- (5) In *Prolog. Sentent.*, quæst. 3, art. 3.
- (6) *Curs. Theolog.*, tom. 6, tract. 12, disput. 2, dub. 4.
- (7) *Curs. Theolog.*, tom. 6, disput. 16, art. 1.
- (8) In 1.^{am} 2.^e, disput. 31, quæst. 3.
- (9) *Dialectic.*, quæst. 3, proem., *Sit secundum fundamentum*.
- (10) In 1.^{am} part., quæst. 48, art. 1, conclus. 6.
- (11) *Metaphys.*, disput. 44, sect. 4.
- (12) In 1.^{am} 2.^e, disput. 78, c. 4, num. 26.
- (13) *Metaphys.*, lib. 9, cap. 5, quæst. 1, sect. 4; et quæst. 2, sect. 2.
- (14) In 1.^{am} 2.^e, disp. 3, quæst. 3, dub. 15.
- (15) *Logic. Mexic.*, post lib. *Posterior. tract.*, *de habil. principior.*, quæst. 1; et tract. 2, *de habil. scient.*, quæst. 1.
- (16) *Instit. Moral.*, lib. 3, cap. 20, 21.
- (17) In 1.^{am} 2.^e, tract. 10, disp. 2, sect. 3.
- (18) In lib. *Posterior.*, cap. 22, quæst. unic. art. 2, initio.
- (19) *De anim.*, disp. 79, sect. 1, num. 18.
- (20) *Philos. peripat.*, lib. 2, disp. 18, quæst. 4, sect. 1, paragr. 2.
- (21) *De anim.*, tract. 7, disp. 2, sect. 2, paragr. 2.
- (22) *Quæst. Philos. Quæst. physico-metaph.*, quæst. 5.
- (23) *De anim. loc. cit.* num. 108, seqq.
- (24) Apud Lossada loc. cit. num. 114. Vid. v. g. Mastrium (disp. 3, *de anim.*, quæst. 2, num. 7, 8), Frascen (loc. cit. sect. 3, quæst. 1, conclus. ultima) etc., etc.

secunda longe
communior.

170 PROPOSITIO 1.^a *Habitus intellectualis videtur esse qualitas a speciebus intellectualibus distincta.*

Habitus
intellectualis
videtur esse
qualitas a spe-
ciebus
distincta.

Probatur 1.^a Proprium habitus est dare non simpliciter posse, sed facile posse. Atqui species intentionales non dant facile posse, sed simpliciter posse intelligere; quandoquidem, ut in præcedenti volumine ostendimus, species complent potentiam in ratione adequati principii intellectiois. Ergo aliud est habitus, et aliud species.

Dices, species quidem directe ex phantasmatibus abstractas dare simpliciter posse, verum species α) repetitione actuum intensiores factas, easdemque β) ex iudiciis præteritis in memoria relictas, vel γ) apte coordinatas dare etiam facile posse—**Verum respondeo negando assertum.** Et ad α) dico, speciem intensam dare simpliciter posse ad actum intensum, sicut remissa dat ad remissum, neutram vero tribuere facile posse. «Quod ut capias, fac intellectum assuetudine reddi facilem ad cognitiones claras ut quatuor, ad quas non constituitur simpliciter potens, nisi per speciem intensam ut quatuor. Fac deinde hanc speciem intendi ut sex. Hæc intentio non reddit intellectum magis facilem ad iterandam cognitionem ut quatuor. Nam vel species concurrat cum intellectu per totos sex gradus, vel per quatuor duntaxat. Si per sex, producat sine dubio cognitionem claram, non ut quatuor, sed ut sex, ad eamque dabit simpliciter posse. Si per quatuor, non magis iuvabit, nec faciliabit intellectum post novam intensionem, quam antea, ut est manifestum» (1).

Ad β) Respondeo facilitatem, quam habitus intellectualis tribuit, esse ad ipsa objecta cogitanda; eam vero non posse criti ex speciebus rememorativis iudiciorum præteritorum. Nam species huiusmodi ex iudiciis præteritis relictæ, non immediate repræsentant objecta, sed actus ipsos præteritos; quare per eas, ut summum redderetur facilis intellectus ad cognoscendum se iudicasse, non autem ad immediate iudicandum de objecto externo. Præterea species actuum repetitione productæ non faciunt intensionem, quam tamen adversarii requirunt, ut species rationem habitus assequatur. Et

(1) Lossada, loc. cit., num. 114.

ratio est, quia species huiusmodi repræsentant actus cognitionis vel iudicii, numerice saltem distinctos, quod sufficit, ne in unam intensiorem speciem coalescant, ut patet in speciebus diversorum individuorum hominum, vel lapidum, qui simul aut successive noscantur, quin possit ex iisdem una species intensior hominis vel lapidis existere.—**Nec dicas:** per species experimentales immediate repræsentari posse objectum æternum, vel saltem cum iis acquiri simul novas externi objecti species directas.—**Nam nec sic haberetur** major intentio speciei præcedentis, saltem quando novæ species non sunt ejusdem individui objecti, sed plurium similium, v. g. dum quis centum testimoniis Petri circa diversas res successive credit, vel in centum occasionibus similibus temere iudicat per actus ejusdem claritatis. Tunc enim acquiritur quidem habitus credendi, vel temere iudicandi, non tamen species illæ intensionem faciunt, quia ex distinctis objectis hauriuntur; secus assensus ultimus evaderet clarus ut centum (1).

Ad γ) denique respondeo in primis explicandum esse adversariis nostris, quid sibi velit coordinatio ista. Nam species sunt, ut jam docuimus in præcedenti volumine, qualitates quædam potentiæ cognoscitivæ inhærentes, inter quas non apparet, qualis possit esse ordo, sive secundum situm, nam omnes sunt penetratæ in subjecto indivisibili, intellectu; sive secundum inhærendi modum, quia una non inhæret mediante aliâ; sive secundum aliquod aliud genus causalitatis aut successionis, ut per se patet (2). Deinde quid sit ista ordinatio specierum, non intelligitur, quo pacto species solæ possint facilitatem ad similes actus tribuere, ut jam amplius probo.

Probatur 2.^a propositio. Species intentionalis, fatentibus omnibus, est comprincipium cognitionis, se tenens ex parte objecti, quare etiam est necessaria ad simpliciter posse. Atqui potentia cognoscitiva potest, ac debet etiam facilitare per aliquid, quod se teneat ex parte ipsius potentiæ. Ergo facilitas, quæ potentiæ tribui possit per species quascumque,

(1) Lossada, loc. cit. num. 116.

(2) Suarez, loc. cit., num. 6; Lossada, loc. cit. num. 117.

non sufficit ad explicandam omnem facilitatem, cujus est capax potentia, ac nominatim illa, quæ se tenet ex parte potentiae, atque in habitum refunditur.

Minor probatur 2. Indeterminatio ac difficultas, se tenens ex parte potentiae, vincenda est per qualitatem se tenentem ex parte ejusdem potentiae. Atqui intellectus adhuc post receptas species se tenentes ex parte objecti, non est penitus determinatus, sed difficultatem experitur ad actum, quemadmodum in præcedenti articulo probatum reliquimus (1). Ergo habitus, cujus est indeterminatio ac difficultatem ejusmodi amovere, aliquid præter species est. β) Intellectus etiam si speciebus habilitetur ad simplices apprehensiones, illasque satis ordinatas habeat ad judicandum, tamen in primis iudiciis ferendis, experitur sæpe difficultatem. Et ideo initio non solemus ferre iudicium, nisi post magnam inquisitionem et considerationem. Postquam vero frequenter idem iudicium repetivimus, promptior longe ad assensum evadit intellectus: quod signum est comparati habitus. Ergo species non sufficit ad præbendam facilitatem judicandi ac ratiocinandi (2). **Dices** indeterminatio intellectus ad judicandum, si quæ sit post acceptas et coordinatas species, vinci posse per motivum voluntatis, ut fit in materia probabilis ex omnium consensu.—**Respondeo**, quamvis in actibus ejusmodi iudicii, quando adest prædicta indeterminatio, possit voluntas motione sua intellectum determinare, etiam ex parte ipsius intellectus requiri optimam dispositionem, ut prompte ac faciliter obediat, cum potissimum intellectus ad assensum non moveatur nisi rationali modo (3).

Probatur 3.^o Habitus confert potentiae facilitatem, quæ non potest provenire a specie quomodocumque intensiori facta vel coordinata. Ergo habitus est distinctus a speciebus. **Prob. antecedens** «Intellectus assuetudine judicandi de objecto A redditur facilis ad judicandum de similibus aliis, occasione data: v. g. qui consuevit temere judicare de Petro in materia furti, pari facilitate judicabit de quovis alio in

(1) Lege num. 163, pag. 485.

(2) Cfr. Suarez (loc. cit., num. 3), Rhodes (loc. cit., *secunda ratio*).

(3) Suarez, loc. cit., num. 4.

circumstantiis omnino paribus; et qui assuetus est credere testimonio Petri, non minus facile credit aliis æque fidedignis. At species objecti A, non inclinatur ad cognitionem similium, sed illius duntaxat, cum ad illud solummodo repræsentandum per se ordinetur, utpote semen ejus: hinc enim species duorum objectorum similium ponuntur inter se magis heterogeneæ, quam species unius, et alloquitur, semel cognito furto Petri, posses eodem modo cognoscere furtum Pauli sine nova specie. Non ergo in speciebus consistit ejusmodi facilitas» (1).

Probatur 4.^o Sunt quædam, quæ vix intelligi explicarive rationabiliter queant, admissa identitate habitus intellectualis cum speciebus. α) In primis constat habitus intellectualis dividi in eos, qui sunt virtutes, et eos, qui virtutes non sunt: priores sunt illi, qui ad verum cognoscendum infallibiliter inclinatur, ut v. g. scientia, sapientia, etc.; posteriores vero sunt illi, qui aut ad falsum semper inclinatur, ut sunt errores, aut indifferentes sunt per se sive ad verum, sive ad falsum, qualis est opinionis habitus. Atqui species profecto, quomodocumque modificatæ, non patiuntur ejusmodi divisionem (2). Ergo... β) Quo quis firmiore vel perfectiore pollet habitu, eo minorem in operando attentionem requirit: unde qui scientiam callet, non eget tanta virium animique contentione, ut conclusiones eliciat; artifex vero peritus, quasi ludendo, et mente ad alia non parum distracta egregie suam artem exercet, ut elucet in cytharædo, etc. Atqui si habitus consisteret in speciebus intensioribus, quomodolibet declaratis, attentio crescere deberet secundum majorem perfectionem illius, quandoquidem species, quo intensior est, eo attentioem reddit intellectum propter vividiorum, quam gignit apprehensionem. γ) Habitus corrumpuntur, et contrarium habent, ut mox dicemus. Atqui species nec corrumpuntur, nec habent contrarium.

Fortè confugas, ut rem explices, ad specierum coordinationem, unde proficisci queant phænomena, quæ in suas species refundi non possunt.—**Verum jam dixi**, nondum ab

(1) Lossada, loc. cit. num. 115.

(2) Cfr. Suarez, loc. cit., num. 4.

adversariis declaratum fuisse, quid tandem rei sit ista coordinatio: si enim est entitas aliqua absoluta re a speciebus distincta, novamque illis efficacitatem conferens, ad munera habitus propria, ultro admittimus ejusmodi coordinationem, sed tunc habitus aliquid importat præter species. Si autem coordinationem reponas in modali aliqua entitate, præterquam quod non intelligitur, qualis sit istiusmodi modus, nondum apparet, quo pacto ex puro modo nova speciebus virtus accedat, quæ illis ex propria sua entitate neutiquam convenit.

Objectiones
solutæ.

171. *Objicies 1.^o* In potentia jam sufficienter inclinata et determinata ad actum facile eliciendum non requiritur habitus. Atqui intellectus per solas species satis inclinatur, ac determinatur ad actum facile eliciendum. Ergo nullo alio præterea distincto habitu eget. Minor per se patet; nam ad assensum evidentem necessario determinatur per speciem sufficienter objectum representantem, et ad conclusionem per præmissas: ad assensum autem inevidentes fidei et opinionis determinatur per imperium voluntatis. Unde ubicumque difficultas occurrit in judicando, existimandum est illam procedere ex eo, quod species non sufficienter representent objectum, quæ proinde tibi perfectiores et intensiores evadant, nihil aliud superadditum desiderabitur (1).

Respondeo, nego Min. et probation. Nam ante habitum requiritur sæpe ad determinandum intellectum fortis applicatio voluntatis; postea vero sufficit languidior, et aliquando forsitan mera permissio. Ante habitum apprehensio evidens non determinat ad assensum, nisi valde sit vivida, vel saltem non conjuncta cum aliis apprehensionibus distrahentibus; postea vero sufficit minus vivida, vel conjuncta cum aliis. Ante habitum necessaria est acris penetratio et attentio ad præmissas, ut istæ determinant ad conclusionem, fortassis etiam requiritur judicium vel apprehensio evidens de bonitate illationis, saltem extra primam figuram; postea vero vel sine apprehensione hac sufficere potest attentio minor ad

(1) Cfr. apud Lossada, loc. cit., num. 105; et Suarez, loc. cit., num. 1, ubi amplius hoc adversariorum argumentum evolvitur. Et vide Oviedo, Arriaga, etc.

objectum et ordinem præmissarum. Immo intellectus, qui ante habitum indigebat actuali discursu ad assentiendum conclusioni scientificæ, postea cum habitu potest conclusionis assensum repetere sine præmissis (1). Quamvis fateor conclusioni formali, sine discursu formali posse intellectum assentiri ex sola specie per ratiocinationem relicta, etsi nondum sit habitus (2).

Objic. 2.^o Intellectus, excitata specie, vel posita voluntatis applicatione, operatur ut causa necessaria: non minus quam visus, vel alius quivis sensus externus, in quo tamen nullus ponitur habitus. Accedit, quod non apparet quomodo intellectus possit per habitum promptior ad operandum reddi. Ut enim nos ipsi superius argumentabamur, quanam, queso, promptitudo major excogitari potest, quam ipsa naturalis necessitas potentia? (3).

Respondeo, nego assert. Quamvis enim intellectus, excitata specie, necessario efficiat simplicem apprehensionem, sed non semper necessario pergit ad judicium, nec ad discursum, donec satis a voluntate applicetur; voluntati autem non semper obedit prompte ac faciliter, præsertim in obscuris, et cum simul proponitur motivum retrahens: immo interdum obedire nequit, v. g. si ante habitum jubeatur elicere sine præmissis evidentem assensum conclusionis. Ut ergo intellectus vel ab apprehensione vel a voluntate determinetur saltem facilius, necnon ut minus laboret, minusque virium impendat in actum secundum, multum conducit habitus. Quare hic potest habere locum in causa necessaria, quando experientia docet, talem causam vi consuetudinis et elicere minore conatu actus æquales, et facilius applicari, constituitque in actu primo proximo. Hoc experimur in intellectu, non in visu et auditu. Nec necesse est intellectum sine habitu reddi promptiorem, supposita applicatione sufficiente; sufficit quod ad hanc ipsam applicationem reddatur promptior, et quod in actu secundo levamen sentiat. Quin immo,

(1) Lossada, *ibid.*, num. 118. Cfr. Suarez, loc. cit., num. 8.

(2) Vide *Logicam Major.*, num. 221, pag. 827.

(3) Cfr. Oviedo, Arriaga, etc., loc. cit. Vide apud Lossada, loc. cit., num. 103.

licet aliunde adsit applicatio sufficiens et proxima necessitas agendi, potest ab habitu conferri promptitudo major, id est, novo titulo urgens ad operandum; quemadmodum equus, cui unus sufficit stimulus ad currendum pro viribus, potest duobus simul stimulis urgeri, atque ita necessitatem currendi habere novo titulo» (1).

Objic. 3.^o In brutis, quæ artificiose operari edocentur, facilitas ordinate certam motuum seriem exercendi, quam usu comparant, ad species in memoria relictas, revocari solet. Ergo nihil vetat, quominus idem de humano intellectu sentiamus (2).—**Respondeo** 1.^o negari posse antecedens, nam de brutorum habitibus idem sentiendum est, ac de nostris: quare si habitus in illis veri nominis sunt, aliquid a speciebus distinctum agnoscere oportet. 2.^o Etiam concesso, quod in brutis non sit necessitas agnoscendi habitum a speciebus rememorativis coordinatis distinctum, adhuc non sequi, quod in hominis intellectu non sit habitus ejusmodi asserendus, quia et major est in eo indeterminatio, et major experientia facilitatis, quæ non videtur posse refundi in solas species quantumvis ordinatas, prout jam probatum manet.

Objic. 4.^o Positiva facilitas orta ex actuum repetitione est habitus. Sed intensio specierum est talis facilitas. Ergo... (3).—**Respondeo** neg. Maj. Nam «non quævis positiva facilitas orta ex repetitione actuum est habitus, sed ea tantummodo, quæ supponit posse simpliciter ad actus similes et æquales, versarique potest indifferenter circa objecta omnino similia. Hoc autem non habet intensio specierum» (4), ut vidimus in 1.^a et 3.^a probatione.

Objic. 5.^o Per actus supernaturales sæpius repetitos comparatur facilitas operandi, quæ non dat simpliciter posse, ac proinde est propria veri habitus acquisiti. Atqui facilitas hujusmodi non potest esse habitus a speciebus distinctus; alioquin daretur habitus supernaturalis, non infusus, sed

(1) Lossada, loc. cit., num. 119.

(2) Cfr. De Benedictis et Mayr, loc. cit.

(3) Cfr. Joannes Ulloa, loc. cit.

(4) Lossada, loc. cit., num. 122.

acquisitus (1).—**Respondeo**. *Conc. Maj. neg.* Min. et probation. Quia quamvis diversimode opinentur Theologi circa naturam habitus, supernaturalium actuum repetitione geniti, ea tamen communissima et nobis probabilior est sententia, quæ tenet habitus illos esse entitative naturales, qui tamen elevati per habitum ipsum vel aliud principium supernaturale, faciunt ad alios actus supernaturales ejusdem rationis eliciendos.

172. SCHOLIUM. Quæret quispiam, quænam tandem sit de hac re Doctoris Angelici doctrina. Mens S. Thomæ
expenditur.

Equidem respondeo rem non parum esse dubiam. Sunt quedam testimonia, quæ videntur perspicue habitum in speciebus ordinatis reponere. Nam 1.^o id diserte asserit non uno in loco: *Indiget habitu*, inquit, *intellectus, eo quod intelligere aliquid non potest, nisi assimiletur ei per speciem intelligibilem. Unde oportet species intelligibiles superaddi, quibus in actum exeat intellectus; specierum autem aliqualis ordinatio habitum efficit* (2). Alibi docet habitum constitui ex lumine intellectus agentis et speciebus (3).

2.^o Huc quoque pertinet quod alibi docet Aquinas, species intelligibiles esse *formale* in virtutibus intellectualibus: unde concludit intellectuales virtutes mansuras esse post hanc vitam in anima separata quoad *formale* illarum, licet non manebunt quoad materiale, quod sunt phantasmata, operationem intellectualem in hoc unionis statu comitantia (4).

3.^o Habitum principiorum non posse corrumpi, sive per se, sive per accidens, ex eo probat S. Thomas, quod nec species intelligibilis nec earum causa, intellectus agens, habeant contrarium, cujus actione corrumpi queant (5). Unde

(1) Apud Lossada, loc. cit. num. 122.

(2) S. Thom., *De verit.*, quest. 24. art. 4. ad 9.^{um} Cfr. *de verit.*, quest. 10. art. 2. in fin. corp.; et quest. 20. art. 2. in fin. corp.; 1. 2. quest. 50. art. 5. ad 1.^{um}; 3.^a *dist.*, 14. quest. 1. art. 3. solut. 4.

(3) S. Thom. 3. *dist.*, 14. quest. 1. art. 1. solut. 2. et sol. 3. in corp., et ad 2.^{um}.

(4) S. Thom. 1. 2. quest. 67. art. 2. corpor., et ad 2.^{um}.

(5) S. Thom. 1. 2. quest. 53. art. 1. Cfr. 1. p. quest. 89. art. 5; *Quolib.* 12. art. 12.

non videtur ad formalem rationem habitus aliud requisivisse præter species intelligibiles. Præterea ad probandum, quod habitus sint in intellectu, non autem in viribus sensitivis, aliud non videtur, omnino curare Angelicus, nisi quod in intellectu subjectentur species intelligibiles, quibus ille aptus ac potens redditur ad cognoscendum etiam tunc, cum actu non cognoscit, quod est proprium habitus (1). Denique angelis inesse habitus totaliter et complete naturales, non autem inchoative tantum, sicut hominibus, ex eo S. Doctor probat, quod species illi accipiunt naturaliter inditas (2). Quæ de re videri potest Cajetanus (3).

Quare princeps Thomistarum, Capreolus, productis in utramque partem multis testimoniis S. Thomæ, sic tandem concludit: «Apparet mihi, quod plus declinat ad illam opinionem, quæ ponit scientiam esse ordinatam collectionem specierum intelligibilium» (4). Et simile iudicium ferunt Paulus Soncinas (5) et Conradus (6).

Contra hæc autem adducitur locus S. Thomæ (7), in quo docetur habitum esse qualitatem simplicem, quod certe stare nequit cum doctrina rationem habitus reponente in collectione specierum ordinata; hæc enim qualitas simplex non est. Unde etiam addit Aquinas (8) eum, qui per demonstrationem acquirit scientiam conclusionis habere jam habitum, licet imperfecte; cum vero per novam demonstrationem acquirit scientiam alterius conclusionis, non aggenerari novum habitum, sed priorem fieri perfectiorem, et ad plura se extendentem. Itemque docet (9), quod *successio in generatione habitus*

(1) S. Thom. 1. 2, quæst. 50, art. 4, corp., et ad 3.^{am}; de *verit.*, quæst. 20, art. 2, corp., et ad 5.^{am} Cfr. 3. p. quæst. 11, art. 6; quæst. 12, art. 1, et 2; quæst. 9, art. 3, et 4; De *virtut.*, quæst. 1, art. 5, ad 1.^{am}; 1. 2, quæst. 62, art. 3, ad 1.^{am}

(2) S. Thom. 1. 2, quæst. 51, art. 1, corp. Cfr. *ibid.* quæst. 50, art. 6.

(3) In 1.^{am} 2.^e, quæst. 54, art. 4.

(4) Capreol., *Prolog.* in lib. sentent., quæst. 5.

(5) *Metaphys.* lib. 6, quæst. 9.

(6) In 1.^a 2.^e, quæst. 54, art. 4.

(7) In 1.^{am} 2.^e, quæst. 54, art. 4.

(8) *Ibid.*, ad 3.^{am}.

(9) S. Thom. 1. 2, quæst. 54, art. 4, ad 1.^{am}.

non contingit, ex eo quod pars ejus generetur post partem, (ut esset profecto in contraria sententia), sed ex eo quod subjectum non statim consequitur dispositionem firmam et difficile mobilem, et ex eo quod primo imperfecte incipit esse in subjecto, et paulatim perficitur. Quapropter Cajetanus (1), Dominicus Soto (2), Bartholomæus de Medina (3), et alii (4), opinantur S. Thomam habitum in qualitate a speciebus intentionalibus distincta reposituisse; Cajetanus vero fuisse conatur contraria Aquinatis testimonia explicare. Equidem rem non tanti esse crediderim, ut diutius in ea eliquando immoremur.

§. II.—UTRUM HABITUS VOLUNTATIS CONSISTAT IN SPECIEBUS
VEL IN ACTIBUS INTELLECTUS.

173 Plerique eorum, qui negant habitus in intellectu a speciebus rememorativis distinctos, negant etiam in voluntate habitus præter species et actus quosdam intellectus: arbitrantur enim tota n voluntatis propensionem ac facilitatem erga objectum aliquod proxima quidem ac formaliter explicari posse per vividam cognitionem dulcedinis aut emolumentum ex eodem objecto prius percepti, vel etiam ex simplici atque indeliberata complacentia, quæ ex illius memoria nascitur; remote vero seu radicaliter per species experimentales, quæ in memoria remanent ex jucundis et repetitis volitionibus ejusdem objecti. At quoniam, inquit, formalis facilitas transit cum actibus, radicalis vero remanet, in speciebus, ideo in his potius, quam in illis resideat habitus voluntatis. Licet porro species omnes ad intellectum pertinent, est tamen discrimen inter habitus intellectus et voluntatis; illi enim consistunt in speciebus, quæ per cognitiones generatæ sunt, et ad cognitionem inclinant, habitus autem voluntatis sunt species ex actibus voluntatis relicte, et ad novos ejusdem actus inclinantes (5). Itaque habitus acquisiti voluntatis constituendi sunt, ut loquitur P. Mayr

Querendum
AA. sententia.

(1) In 1.^{am} 2.^e, quæst. 54, art. 4.

(2) In *Dialectic. Aristot.*, quæst. 3, proccm. in *secund.* art.

(3) In 1.^{am} 2.^e, quæst. 50, art. 4.

(4) Vide apud Complutens., In *Aristot. Dialect.* disp. 19, quæst. 4, paragr. 1, num. 42.

(5) Lossada, loc. cit. num. 106

cum P. Oviedo, «in speciebus rememorativis rite coordinatis ac firmatis, facile excitabilibus, ac experimentaliter proponentibus bonitatem et delectationem objecti vel ipsorum actuum cum negatione specierum oppositarum, atque faciliter excitabilem, vel certe fortiter in contrarium trahentium» (1). Hanc doctrinam tenent omnes auctores in precedenti paragrapho laudati pro prima opinione, exceptis P. Ulloa, Petro Hurtado, Compton, Arriaga et Quiros, quorum primus non loquitur de habitu voluntatis, reliqui nolunt ad voluntatis habitum extendere, quod de intellectus habitu sentiebant. Verum communissima opinio agnoscit in voluntate habitum distinctos ab omni specie actuus intellectus: quam tenent omnes, qui etiam in intellectu similes qualitates ponunt, et in precedenti articulo nominati sunt, et insuper quos modo dicebam, PP. Petrus Hurtados (2), Thomas Carleton Compton (3), Arriaga (4) et Quiros (5); itemque Scotista Pontius (6), qui circa intellectuales habitus minus clare loquitur. Nec de mente S. Thomæ videtur ullus in hac questione ambigendi locus.

174. PROPOSITIO, 2.^a **Habitus voluntatis est qualitas ab omni specie actuus intellectus distincta.**

Probo 1.^o Tota ratio habitus voluntatis in contraria sententia revocatur ad species intensiores, virtutem habentes vivide proponendi bonitatem et jucunditatem objecti vel ipsorum actuum, cum negatione specierum oppositarum æque excitabilem, vel æque fortiter trahentium in contrarium. Atqui possunt inesse menti species hujusmodi intensiores, quin sit habitus. Ergo habitus voluntatis nequit consistere in prædictis speciebus, sed in aliqua alia qualitate distincta.

(1) Mayr, loc. nup. cit. num. 1079. Cfr. Oviedo, qui fusc hanc sententiam declarat de *anim.*, controvers. 14, punct. 3.

(2) De *anim.*, disp. 16, sect. 3.

(3) De *anim.*, disput. 28, sect. 2, num. 4.

(4) De *anim.*, disput. 9, sec. 4.

(5) *Curs. philos.*, disp. 93, sect. 2, num. 14.

(6) De *anim.* disput. 14, quest. 1, conclus. 5.

cui opponitur
longe
communior
aliorum opinio.

Habitus
voluntatis est
qualitas ab
omni specie
actus intellectus
distincta.

Major continet adversariorum doctrinam. **Minor probatur** quod primum, quia potest homo sanctus et virtutibus plenus vividissimis sensibilibus bonorum imaginibus ad peccatum vehementissime allici. Tunc ergo adsunt species intensissimæ objectum vel actum vetitum vividissime representantes, et nihilominus non est habitus ad tale objectum vel actum inclinans, sed contrarius.

Dices, non quaslibet species esse habitus voluntatis, sed eas duntaxat, quæ renovant vividam memoriam dulcedinis vel jucunditatis autem perceptæ in prioribus actibus—**Respondeo** in primis speciem intensam objecti nunquam prius amati posse æque vel magis, quam experimentalis, inclinare voluntatem per cognitionem vividam. Cur ergo nomen et rationem habitus non obtinet? Deinde potest quis postquam inveteratum habitum impudicitæ abiecit, et contrarium castitatis comparavit, ex speciebus turpium objectorum actuumve, sive propter vitium naturæ ac temperamenti, sive propter temporum ac locorum adjuncta, sive demum propter dæmonis importunas tentationes facillime excitabilibus, proclivis esse ad vividissimas representationes, vehementissime, quamvis frustra, voluntatem allicientes, prout experientia ipsa in multis probis hominibus demonstrat. Adest ergo quidquid in tua sententia constituit habitum, et nihilominus non datur habitus, sed contraria virtus constanter hominem firmum retinens in officio per multos annos, atque adeo per totam vitam, in medio fere perpetui certaminis æstu.

Instabis. Ad habitum non sufficiunt solum species vivide representantes objectum vel actum, sed præterea requiritur absentia specierum intensiorum, quæ cognitionem ab actu retrahentem pariant magis vividam. Et propterea species peccaminosæ non servant rationem habitus in eo, qui jam acquisivit contrariam virtutem, ac proinde habet species intensiores honestatis, quibus magis a peccato retrahatur.—**Respondeo, neg.** prorsus assertum. Ut enim quis operetur ex habitu, non requiritur carentia cognitionis magis retrahentis, seu magis trahentis in oppositum. Ergo nec requiritur carentia specierum, quæ talem cognitionem pariant, ac proinde in exemplo a nobis adducto ex adversariorum doctrina nihil desiderabitur ad existentiam habitus peccaminosi. **Et prob.**

antecegens «quia non nisi absurde dixeris hominem probe moratum numquam ex habitu resistere tentationi peccandi, nisi cum hæc minus vivida est, quam cognitio invitens ad resistendum, ut e converso male moratum hominem nunquam operari ex habitu, nisi dum caret cognitione vividius retrahenti. Hoc si verum esset, bonus habitus foret inutilis, quoties delectatio prava vividius proponitur, quam honestas: nihil etiam posset efficere pravus habitus, quoties honestas vividius apprehenditur. Oppositum sane ostendit experientia» (1).

Prob. 2.^o propositio. «Si dentur in duobus hominibus, habitualiter sobrio, et habitualiter ebrio, cognitiones directæ omnino æquales in vi attrahendi ad immoderate bibendum, atque etiam in vi retrahendi; alter proculdubio se magis inclinatum et faciliorem sentiet ad potum immodicum, quam alter. Sed ea major inclinatio et facilitas non provenit a cognitione, cum hæc supponatur in utroque æqualis; nec provenit a speciebus, cum hæc juxta adversarios non nisi media cognitione facilitent, et inclinent. Provenit ergo ab habitu, quem intendimus. Nec recurras ad complacentiam indeliberatam. Nam quod hæc excitetur in uno præ altero, tribui debet habitui, siquidem tribui nequit soli cognitioni, utpote omnino æquali utrobique» (2).

Dices, in ebrioso, cum habet directam vini cognitionem, necessario excitari memoriam præteritorum actuum, et ex ea provenire majorem inclinationem.—Sed quid, si non excitetur? Tunc, inquires, nulla dabitur major inclinatio.—Atqui hoc, e quidem reponam, abhorret a communi sensu et experientia, ut scilicet actualis memoria (nam habitualis in speciebus consistens, sine actuali non facilitat) et reflexio actualis in actus præteritos necessaria sit ad faciliter operandum ex habitu. Consule, si lubet eos, qui consuetudinem habeant pejerandi, maledicendi, detrahendi, etc., et testabuntur omnes se sine ulla prorsus reflexione vel attentione ad actus præteritos, cum sese offert occasio, abripi consuetudine. Ex quo sequitur etiam, quod inveterata consuetudo nihil fere

(1) Lossada, loc. cit., num. 109.

(2) Lossada, loc. cit. num. 110.

facilitabit senes decrepitos et alios, qui labili sunt memoria; et quod nihil pariter efficiet habitus in occasione subita, quæ non relinquit reflexioni locum, quantumvis experientia probe illam Aristotelis (1) sententiam: *In repente cognoscitur habitus* (2).

Prob. 3.^o «Si habitus voluntatis consisteret in speciebus, intensio specierum foret intensio habitus, et e converso, ut adversarii concedunt. Ergo idem erit operari ex intensiore habitu, ac ex intensiore specie, et consequenter ex cognitione intensiore. Qui ergo operatur ex habitu magis intenso et inveterato, cognitionem habere debet magis intensam mentemque proinde magis attentam ad objectum; nec aliter poterit a tali habitu reddi facilior. At oppositum experientia constat, plerumque enim qui ex nimio habitu operatur, remissione utitur cognitione, minorque illi attentio sufficit: unde cognitio tenuis aut modica tentatio, quæ non habituum vix moveret, statim pertrahit habituum. Contingit fere in habitu dejerandi v. g., quod in habitu citharizandi, ut scilicet dum nimium excrevit, cum attentione modica et cum distractione ad alia objecta exerceatur. Accedit, quod repetitione actuum voluntatis intenditur habitus, non vero species experimentalis: quamvis enim singuli actus suam relinquunt speciem, nulla tamen resultat intensio ex his speciebus, utpote representantibus actus numero saltem distinctos; quemadmodum non resultat intensior species ex eo, quod quis successive cognoscat Petrum, Paulum, Joannem» (3).

Prob. 4.^o In adversariorum sententia idem essent habitus intellectus et voluntatis. Atqui hoc non est admittendum. Prob. Major. Quamvis enim non omnis habitus intellectus esset habitus voluntatis, at e converso omnis habitus voluntatis esset habitus intellectus; et quidem primo et præcipue, quandoquidem species volitionum non aliter facilitarent voluntatem, nisi prius facilitando intellectum: Unde respectu intellectus sunt facilitas immediata et formalis, respectu autem voluntatis mediata et radicalis. Minor etiam probatur

(1) Aristot., *Ethicor.* lib. 3, cap. 8.

(2) Lossada, loc. cit., num. 110.

(3) Lossada, loc. cit., num. 111.

primo, quia ut superius ostendimus (1), habitus non potest per se efficere nisi actus ejus potentiae, quam informat. Atqui species intentionalis non informat nisi intellectum. Ergo habitus voluntatis, prout ab adversariis ponuntur, sicut solum informant intellectum, ita per se ad actus intellectus juvabunt. Atque hinc secundo sequitur logice negatio habitus in voluntate. Nam ut superius probatum reliquimus, habitus in ea potentia esse debet, cujus actibus producitur, et ad alios similes actus physice concurrat. Atqui species nec sunt in voluntate, nec possunt physice concurrere ad actus voluntatis. Ergo reapse non sunt habitus voluntatis. Et sic potentia, quae propter suam indifferentiam et libertatem habitibus maxime indiget, nullo, saltem naturali, habitu instruetur. Confirmari posset «exemplo habituum infusorum, ex quibus alii ad voluntatem spectant, non ad intellectum, alii e converso, ut in *Theologia* certum est. Quid? quod alioquin habitus fidei divinae posset eodem jure, quo species, appellari habitus voluntatis, quam media cognitione excitat, et adjuvat ad volendum?» (2).

Quosdam objectiones dissolutas.

175. *Objic. 1.^o* Tota inclinatio et facilitas voluntatis, quae actuum repetitione acquiritur, explicari potest radicaliter et in statu habituali per intensas species experimentales, et formaliter per cognitionem seu memoriam vividam et per simplicem complacentiam inde resultantem. Ergo nulla est necessitas habitus specialis (3).

Respondeo, neg. anteced. Quamvis enim voluntatem facilitent species radicaliter, et cognitiones aut complacentiae formaliter, haec tamen facilitas non est proprie habitus, ut satis constat ex probationibus. Est enim ejusmodi facilitas separabilis a facilitate propria habitus circa idem objectum, eademque est saepe intensa, cum habitus est remissus, et e converso; saepe etiam conjungitur in gradu intenso cum habitu contrario, et ab eo vincitur, ut patet ex allato superius

(1) Vide supra num. 140, pag. 455.

(2) Lossada, loc. cit., num. 112.

(3) Vide P. Mayr (loc. cit., num. 1079 et 1080), et apud Lossada (loc. cit., num. 107).

exemplo hominis castissimi, qui ex memoria objectorum actuumque contrariorum vehementissime tentatur (1).

Objic. 2.^o Voluntas eo est facilior, quo magis attrahitur ab objecto. Sed eo magis attrahitur, quo vividior est objecti cognitio, quae vicissim eo est vividior, quo intensior est species. Ergo ad cognitionem et speciem revocanda est voluntatis facilitas hujusque incrementum (2).

Respondeo, dist. Major. Voluntas eo facilior est, quo magis attrahitur ab objecto, facilitate se tenente solum ex parte objecti, quae eodem prorsus modo potest reperiri etiam in voluntate, habitum nondum assequuta, *concl.*; facilitate propria habitus, quae se tenet ex parte ipsius potentiae, *neg.* Certum enim esse debet ex ipsa experientia, facilitatem atque attractionem, quae proxime procedit a cognitione, et radicaliter a speciebus, reperiri posse, ac solere in voluntate nondum habituata, vel quae jam habitum amisit. Ergo praeter illam aliqua alia necessario admittenda est, quae habitus propria est, ea nempe, quae provenit ex qualitate ipsi voluntati inherente.

Objic. 3.^o Interdum accidit, ut voluntas post primum actum experiat objectum minus delectabile, quam prius, unde facilis et avidius illud amplectitur primo actu, quam secundo. Et quo pluries illud experitur, eo frigidius appetit ac difficilius, donec tandem positive fastidit. Atqui hoc non accideret, si repetitione actuum habitus gigneretur, a speciebus distinctus: crebrior enim experientia deberet semper majorem parere inclinationem. Ne autem retorqueamus argumentum, monent adversarii, ideo a speciebus experimentalibus non tunc oriri facilitatem, sed potius difficultatem, quia memoriam causant, non tam dulcedinis, quam fastidii vel nauseae. Confirmatur, quia difficultas, quae tunc acquiritur actuum repetitione, in speciebus et apprehensionibus tota consistit. Ergo e converso idem putandum erit de facilitate, quae in aliis eventibus comparatur (3).

(1) Cfr. Lossada, loc. cit., num. 123.

(2) Vide P. Oviedo (loc. cit., num. 17), P. Mayr (ibid.), et apud Lossada (ibid.).

(3) Vide P. Oviedo (loc. cit., num. 16, 18, 19), P. Mayr (ibid., num. 1032), et apud Lossada (loc. cit.).